

Vocatur *prima*, cum consideratur in se, nempe prout nullam ex se habet formam, ob idque ad quamlibet formam in se recipiendam indifferens est; *secunda* autem, cum consideratur, prout iam formam in se recepit, et, ipsam retinendo, ad alias determinationes non quidem substantiales, sed accidentales, quas natura, vel ars in ipsam inducere possunt, in se recipiendas apta est. E. g., lignum, si consideretur prout scamnum ex eo effici potest, materia *secunda* appellatur. Quapropter materia, quae, tamquam principium substantiale, ad corpus efficiendum concurrevit, est materia, prout est *prima*; siquidem materia, prout est *secunda*, iam quoddam corpus est, quia ipsa copulationem formae cum materia prima expostulat. Definiri autem potest *materia prima*: *Aliquid, quod cum per se ab omni essentia, et proprietate vacet, in potentia est ad recipiendam in se quamlibet essentiam, aut proprietatem*¹. Id exemplo e rebus artificiosis petitio declarari potest. Etenim materia prima ita se habet ad ens naturale, ut lignum se habet ad rem artificiosam; quia, sicut lignum, cum nullam figuram artificiosam habeat, in potentia ad omnes recipiendas est, ita materia prima, cum nullam quidditatem, proprietatemque per se habeat, ad quamlibet quidditatem, proprietatemque in se recipiendam in potentia est.

2^o Materia, cum per se sit indifferens ad hoc, vel illud corpus constituendum, indiget aliquo principio, ex quo determinatur ad hanc, et non aliam corporis speciem efficiendam. Hoc principium dicitur *forma substantialis*. « Materia, inquit s. Thomas, per formam contrahitur ad determinatam speciem »². Hinc forma substantialis definitur: *Actus primus materiae*. Primo, cum dicitur *actus*, distinguitur forma a materia, quia materia, ut diximus, in potentia est ad quamlibet essentiam in se recipiendam; forma autem est, quae reducit materiam ad actum, nem-

¹ Cf s. Aug., *Confess.*, lib. XII, c. 6, n. 6, et *De nat. bon. contr. Manich.*, lib. I, c. 18. Hinc s. Thomas ait: « Materia proprie loquendo non habet essentiam, sed est pars essentiae totius » (*Qq. disp.*, *De Ver.*, q. III, a. 3 ad ult.). Et s. Bonaventura: « Materia est indistincta, et passibilis ad distinctionem per formam »; *In lib. I Sent.*, Dist. XIX, p. I, a. 1, q. 3 *resol.*

² I, q. XLIV, a. 2 c. Et *ibid.* (q. L, a. 2 c.): « Materia recipit formam, ut secundum ipsam constituantur in esse alicuius speciei, vel aeris, vel ignis, vel cuiuscumque alterius ».

pe ad constituendam *actu* hanc, aut illam speciem, sive essentiam compositi naturalis. Quapropter essentia rei non a materia, quae per se ad omnia indifferens est, sed a forma repetenda est. Exinde etiam intelligitur materiam veluti principium passivum, et formam veluti principium activum ad corporis effectiōnē concurrere; nam forma est principium, quo res efficitur id, quod est, et materia est principium, quo efficitur id, quod res est. Secundo, cum forma *substantialis* dicitur *actus primus*, distinguitur cum ab *actu existentiae*, quo res non iam essentiam, sed esse suum accipit, tum a formis accidentalibus, quae essentiam rei iam constitutam quibusdam modis afficiunt³. Tertio, cum dicitur *actus materiae*, distinguitur a *substantiis separatis*, sive Angelis; hi enim ad nullum corpus informandum destinantur, ac proinde *actus sine materia* appellantur⁴.

3^o Ex materia, et forma substantiali uniuersus corpus per se, et sine interventu ullius medii efficitur, ita ut idem sit « esse formae, et materiae, et hoc idem sit esse compositi »⁵. Etenim illud, quo aliquid est ens, est quoque unum⁶; atqui forma per se ipsam efficit, ut res sit in actu; ergo forma per se ipsam efficit, ut ex ea, et materia unum corpus fiat⁵.

31. Sin corpus secundo modo consideretur, nempe, prout iam in natura rerum constitutum existit, haec statuenda sunt:

1^o Corpus iam in natura rerum constitutum non ab aliis principiis substantialibus, quam quae diximus, nempe materia, et forma, iisque, nulla re media copulatis, componitur.

2^o Numquam materia corporis sine forma in rerum natura esse potest, quia materia sine forma est aliquid tantum in potentia; repugnat autem aliquid, quod est tantum in potentia, existere

¹ « Forma accidentalis a substantiali differt, quia forma substantialis facit hoc aliquid, forma autem accidentalis advenit rei iam hoc aliquid existenti »; *Qq. disp.*, q. un. *De Sp. cr.*, a. 1 ad 9.

² Aliquando potentia ad esse, nomine *materiae*, et *actus esse* nomine *formae* designantur. Quocirca, cum formae creatae, quae in materia non subsistunt, sint in potentia, in quantum habent esse finitum, et limitatum (*Qq. disp.*, q. un. *De Sp. cr.*, a. 1 ad 1), dici quoque potest, quod « in ipsis est compositio potentiae, et actus, et per consequens materiae, et formae...; sed tamen hoc non est proprius dictum secundum communem usum loquendi »; *Ibid.* in sol. — ³ ⁴ ² ² q. IV, a. 5 ad 2.

⁴ Cf *Ontol.*, c. III, art. 1, p. 18.

⁵ Cf s. Thom., I, q. LXXVI, art. 7 c.

in rerum natura¹. Item forma corporis sine materia numquam esse potest; nam forma, ut diximus, est actus materiae: repugnat autem existere in rerum natura aliquid, quod est actus, sine eo, cuius est actus². Exinde consequitur notiones materiae, et formae, si seorsum considerentur, nonnisi abstractas esse, proindeque eiusmodi, ut nihil ipsis in rerum natura respondeat.

3º Materia, et forma ita secum copulantur ad constituendum corpus in natura rerum existens, ut materia, quae per se indifferens est ad quamlibet essentiam, determinetur a forma *ad unam speciem*³, et forma limitetur a materia ad individuum, quatenus, secundum quod recipitur in hac materia, non amplius naturam specificam repraesentat, sed quoddam individuum eius constituit⁴. E. g., in Socrate humanitas, quae est forma hominis, determinat materiam, quae in Socrate est, quia haec, uti ab humanitate ad Socratem constituendum determinata est, ita ab animalitate ad bucephalum efficiendum determinari poterat. E contrario, humanitas in Socrate a materia limitatur, quia ipsa ex eo, quod in Socrate ab hisce, et non ab aliis conditionibus materiae circumscribitur, non cuiusque hominis, sed Socratis propria est.

32. Denique si corpus tertio modo consideretur, nempe *in fieri*, prout esse *substantiale* in rerum natura accipit, haec monenda sunt:

1º Res incipit esse vel omnino ex nihilo, vel ex eo, quod forma educitur a materia, et in quantum materia, quae est in potentia ad formam, fit actu sub forma, quod est facere compositum⁵. Primum dicitur *creatio*, alterum *generatio*. Ita mundus a Deo creatus esse dicitur, quia Deus, cum nihil extra ipsum esset, effecit omnipotentia sua, ut res, ex quibus mundus conflatur, esse inciperent, sive res, ex quibus mundus conflatur,

¹ Qq. dispp., *De Pot.*, q. IV, a. 1 c. Hinc s. Augustinus de rerum creatione disserens, ait: «Creator Deus...formatam quippe creavit materiam» (*De Gen. ad litt.*, lib. I, c. 15, n. 29). Et alibi (*Confess.*, lib. XIII, c. 33, n. 48) Deum alloquens, inquit: «Simul utrumque fecisti, ut materiem forma, nulla morae intercedente, sequeretur».

² I, q. XL, a. 1 c. Hic non loquimur de forma, quae, ut dicemus cap. V, art. 3, vocatur *subsistens*, cuiusmodi est anima humana, de qua in *Anthropologia*.

³ Quodlib. III, a. 3 c. — ⁴ Ibid. — ⁵ In lib. VII Met., lect. VII.

ex nihilo fecit⁶. Contra ea, cinis ab igne generari dicitur, quia, cessante combustionē ligni, abit forma ignis, eique forma cineris succedit, atque haec a materia ignis educitur, quia materia ignis ad formam cineris in se recipiendam in potentia est.

2º Res corporeae generantur transformatione, nempe transitu ab una ad aliam formam. Exinde consequitur, si corpus consideretur *in fieri*, opus esse, praeter materiam, et formam, alio principio, per quod materia est capax novam formam in se recipiendi. Hoc principium vocatur *privatio*, nempe carentia formae, quam res non habet, sed ad quam habendam naturaliter comparata est⁷. Et sane, duas formas substantiales in eodem composito esse repugnat⁸; quapropter res corporea non potest generari, seu transire de una forma in aliam, nisi caret forma, in quam transit, ita tamen ut ad illam recipiendam apta sit⁹.

3º Si actio, qua res omnino e nihilo fit, dicitur *creatio*, reducito totalis eius in nihilum dicitur *annihilatio*; et, si eductio formae a materia dicitur *generalio*, separatio formae a materia *corruptio* vocatur⁵. Ita si Deus mundum in nihilum redigeret, mundus a Deo annihilari diceretur, et, cum ignis extinguitur, indeque cinis efficitur, ignis dicitur corrupti⁶.

4º Cum materia, ut diximus, sine ulla forma existere nequeat, ipsa non potest amittere formam, quam habet, nisi aliam adquirat; ex quo fit, ut, uno composito destructo, aliud efformetur. Vicissim, quia materia plures formas substantiales simul habere non potest, ipsa non potest adquirere aliam formam, nisi pri-

¹ I, q. LXV, a. 4 c. — ² I, q. LXVI, a. 2 c. Cf *Ontol.*, c. I, art. 2, p. 6.

³ Quodlib. I, a. 6 c. Legere praestat opusc. s. Doctoris, *De pluralitate formarum*, et *Comment. I. Cornoldi*, S. I., *Della pluralità delle forme secondo i principii filosofici di s. Tommaso d' Aquino*, Bologna 1876.

⁴ Iam s. Augustinus adverterat non posse recte cogitari materiam, ex qua corpora fiunt, nisi cum privatione omnis formae (*Confess.*, lib. XII, c. 6), sive, ut alibi ait (*De nat. bon. contr. Man.* lib. I, c. 18), per omnitudinem speciei privationem.

⁵ Sicut immutatio formas substantialis generationem, vel corruptionem rei, ita immutatio formae accidentalis alterationem eius efficit. Cf. *Thom.*, I, q. LXVI, a. 1 c.

⁶ Hic monitos iuvenes generationem, et corruptionem esse proprias compositi, nec nisi ratione huius ad materiam, et formam pertinere. Unde, prout compositum formatur, aut dissolvitur, materia, et forma corrupti, aut generari dicuntur. Cf. s. Bonav., *In lib. II Sent.*, Dist. VII, p. 2, a. 11, q. 1 ad arg.

mam amittat; ex quo fit, ut, uno composito efformato, aliud destruatur. Exinde illa effata intelliguntur: *Corruptio unius est generatio alterius, et, Generatio unius est corruptio alterius.*

ART. VI. *Expositi systematis veritas demonstratur*

33. *Expositi systematis veritas sequenti Propositione evincitur: Modus, quo corpora fiunt, et intereunt, theoriam scholasticam de eorum principiis constitutivis expostulat.*

Probatur. Corpora non per alterationem, sed per generationem, idest per mutationem substantialem oriuntur, nempe corpus aliquod ex alio ita oriatur, ut substantia illius, ex quo oriatur, non maneat eadem ac substantia corporis, quod oriatur. Etenim in hoc proprietates inveniuntur omnino oppositae iis, quae in illo observabantur; e.g., aliae sunt proprietates ligni, et aliae proprietates ignis, qui ex illo producitur; item proprietates aquae non sunt eadem ac proprietates hydrogenii, et oxygenii, ex quibus aqua conflatur; quapropter, si substantia corporis, ex quo aliud oriatur, eadem ac substantia illius, quod oriatur, manaret, una eademque substantia proprietatum, quae sibi invicem opponuntur, principium, et subiectum esset; id quod fieri non potest¹. Atqui, si corpora per mutationem substantialem oriuntur, tria illa principia expostulantur, quae *materiam, formam, et privationem* a Scholasticis dicta fuisse vidimus. Ergo.

34. *Minor quoad singulas partes probatur hunc in modum:*
1° Si ex uno corpore aliud oriatur per mutationem substantialem, dicendum est in corpore, quod generatur, remanere aliquid eius, quod veterem formam in se recipiebat, quia secus vetus corpus non transmutaretur, sed in nihilum reduceretur: hoc autem, quod de vetere corpore in novo remanet, intelligendum est tamquam *pura potentia*, nempe aliquid, quod, cum nullam peculiarem formam habeat, est per se indifferens ad omnes formas recipiendas, alioquin plures formas, unam post aliam, in

¹ Cf s. Bonav., *In lib. IV Sent.*, Dist. XLIII, a. 1, q. 4 resol., et s. Thom., *In lib. IV Sent.*, Dist. XI, q. I, a. 1, sol. 3 c. Id etiam vulgo hominum persuasum est; omnes enim, e. g., putant aliter ceram, aut lignum mutari, cum novam induint figuram, aliter vero lignum cum in ignem convertitur, quippe quod in cera, aut ligno nova accidentia producuntur, quin ipsa substantia corrumpatur, sed substantia ligni perit, cum ignis ex illo efficitur.

se recipere non posset; rursus, ex hoc, quod de vetere corrupto in novo remanet, quodque ad quamlibet formam in se recipiendam indifferens est, substantia novi corporis educitur, quia si non educeretur ex hoc, educeretur ex nihilo, seu, quod idem valet, non generaretur, sed crearetur⁴. Atqui illud, quod de vetere corpore in novo remanet, ex quo substantia novi corporis educitur; et quod ad omnes formas in se recipiendas est per se indifferens, illud est, quod *materia* a Scholasticis post Aristotelem nuncupatum est. Ergo, si corpus per generationem oritur, unum principiorum, ex quibus ipsum efficitur, illud est, quod *materia* a Scholasticis dictum fuit².

2° In generatione corporis praeter principium, quod dicitur *materia*, aliud, quod dicitur *forma*, admittendum est. Et sane, ad cuiuslibet rei generationem oportet concurrere aliquod principium, quo res ad certam speciem entis determinatur, quo a ceteris speciebus entis distinguitur, et ex quo eius proprietates emanant, sive, ut aiunt, *resultant*. Atqui hocce principium aliud, ac materiale, esse debet. Nam *materia*, si in se, et seiuncta ab omni alio principio consideretur, neque principium esse potest, quo res ad certam speciem entis determinatur, quia ipsa intelligitur veluti mera potentia; neque principium, quo una res ab altera secundum speciem distinguitur, quia conceptus materiae aliquid, quod cunctis speciebus compositorum naturarium commune est, denotat³; neque principium, ex quo proprietates rei emanant, quia, aiente s. Bonaventura, « est principium passivum⁴ ». Ergo ad generationem rei, praeter *materiam*, aliud principium concurrere debet, ex quo illa tria, quae diximus, in corpore efficiuntur: huiusmodi autem principium illud est, quod a Scholasticis *forma*, sive *actus materiae* appellatur.

3° *Generatio sine privatione* intelligi nequit. Etenim intelligi nequit, quomodo subiectum possit aliquid novum esse adquirere, nisi intelligatur illud *actualiter* non habere, hoc est, eo *privari*; quocirca *transitus de non esse ad esse* sine privatione in-

⁴ « Necessum est, inquit s. Bonaventura, aliquo modo formas naturales esse in materia, antequam producantur »; *In lib. IV Sent.*, Dist. XLIII, art. 1, q. 4 resol. — ² Cf Orig., *De principiis*, lib. II, c. 4.

³ « Materia prima, prout consideratur nuda ab omni forma, non habet aliquam diversitatem »; *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, q. I, a. 2 sol.

⁴ *In lib. I Sent.*, Dist. XIX, p. 2, a. I, q. 3 resol.

telligi nequit. Atqui generatio est ille *transitus de non esse ad esse*¹. Ergo generatio corporis sine *privatione* intelligi nequit.

35. Exinde etiam intelligitur in corpore iam generato *privationem* non inveniri. Nam ubi *retransierit de non esse ad esse*, seu cum materiae advenerit forma, excluditur *privatio*, quae est carentia formae; ut dum materia ligni facta est ignis, cessat in eo *privatio ignis*; secus *esse*, nempe forma, et *non esse*, nempe *privatio*, in eodem subiecto invenirentur.

ART. VII. *Praecipuis adversariorum obiectionibus satisfit*

36. Obiec. 1^o Haud possibile est mente comprehendere *materiam primam*, tamquam aliquid, quod nulla essentia, nullisque qualitatibus ornatur. Ergo systema Scholasticorum absurdum est.

37. Resp., Neg. ant. Et sane, cum intellectus noster vi abstrahendi polleat, nobis licet considerare in corpore illud, quod determinatur ad certam essentiam, seiuinctum ab eo, ex quo ad illam essentiam determinatur; ac proinde tamquam indifferens ad hanc, vel illam essentiam recipiendam. Quod cum illud sit, quod *materiae* nomine Scholastici post Aristotelem designarunt, profecto notio materiae, qualis ab eis tradita est, absurdum dici nequit.

38. Quid ut magis, magisque patescat, mente reputandum est nos, cum materiam a forma seiuinctam consideramus, ipsum quidem intelligere, uti s. Augustinus inquit², tamquam *prope nihil*, quia ipsa ex se non est *actu extra nihil*, sed non tamquam omnino nihil; quia ipsa, cum sit ens in *potentia*, est aliquid medium inter ens, quod est in se *actu*, et nihil³. Enimvero *nihil* neque est ens *actu*, neque capax actus; at materia, etsi non sit ex se actus, tamen est capax actus, quia est capax recipiendi in se formam, quae est actus eius. Quare ipsa, si non est omnino ens, ne est quidem omnino nihil⁴.

39. Inst. Repugnat *materiam primam*, quae in se *nullum esse habet*, esse aliquid a Deo creatum; et esse causam materialem, ex

¹ « Generatio, inquit s. Thomas, est transmutatio de non esse ad esse »; *Qq. dispp.*, q. un. *De Sp. er.*, a. 3 c.

² *Confess.*, lib. XII, c. 6, n. 6.

³ Hinc materia, secundum Scholasticos, ante generationem corporis existit secundum *realitatem potentiae*, sive per modum *inchoationis entis*.

⁴ Quare « materia, ut s. Thomas ait, participat aliquid de bono, scilicet ipsum ordinem, vel aptitudinem ad bonum »; I, q. V, a. 3 ad 3.

qua totum componitur. Ergo notio *materiae primae* absurda est.

40. Resp., Neg. ant. Re quidem vera, non repugnat primum, quia illud quoque, quod est in potentia ad actum, a Deo creatur, non quidem tamquam aliquid, quod habet ex se actum, sed tamquam aliquid, quod actum recipit. Apposite s. Thomas: « Illa ratio (nempe quod materia prima est tantum in potentia, in quantum huiusmodi) non ostendit, quod materia non sit creata, sed quod non sit creata sine forma. Licit enim omne creatum sit in actu, non tamen est actus purus. Unde oportet, quod etiam illud, quod se habet ex parte potentiae, sit creatum, si totum, quod ad esse ipsius pertinet, creatum est¹ ».

41. Neque repugnat alterum. Etenim, etsi materia sit in *potentia*, tamen ad totum substantiale concurrere potest ratione aptitudinis ad formam recipiendam. Ut autem causa materialis ad totum substantiale constituendum concurrat, non requiritur, ut actu ante ipsum existat, sed satis est, ut *concomitanter*, atque in eodem instanti cum forma substantiali existat²; siquidem materia cum non det esse formae, sed recipiat esse a forma, non expostulat esse in se, sed solum capacitatem ad illud, quod per formam recipit³.

42. Obiec. 2^o Repugnat in materia, quae nullam essentiam habet, formas contineri. Atqui si formae in materia non continentur, profecto ab ea *eduici* non possunt. Ergo eductio formae a materia, quae in systemate Scholasticorum admittitur, absurdum est.

43. Resp., *Dist. mai.*, repugnat contineri *actu*, *conc. mai.*,

¹ I, q. XLIV, a. 2 ad 3. Id iam s. Augustinus monuit, aiens *materiam esse a Deo concretam*; *Confess.*, lib. XIII, c. 33, n. 48. Et *ibid.*, c. 29, docet materiam praecedere formam non *tempore*, sed origine, eo modo, quo sonus cantum: « Cum enim cantatur, auditur sonus eius. Non prius informiter sonat, et deinde formatur in cantum ». Cf p. 100, not. 1.

² Secus res se habet de causa materiali, in qua, tamquam in subiecto, forma accidentalis inest, e. g., albedo non potest advenire homini, nisi homo iam actu existat.

³ Hic etiam cum Origene advertere praestat materiam in generatione corporis numquam ita in potentia manere, ut non sit actu, quippe quod cum non sit corruptione sine generatione, materia semper alicui formae subiecti oportet: *De principiis*, lib. II, c. 4. Et vicissim, cum non sit generatione sine corruptione, materia, etsi ad generationem corporis concurrat, prout est aliquid in potentia, nempe prout capacitatem habet ad novam formam, qua privatur, tamen est aliquid in *actu*, habet enim formam corruptendam.

in potentia, neg. mai. Item *dist. min.*, si non continentur neque *in actu*, neque *in potentia, conc. min.*, si continentur *in potentia, neg. min.* *Neg. cons.* Et sane, illud, quod educitur, debet esse in eo, a quo educitur, non *actu*, sed *potentia*, nam educio transitum de potentia in actum denotat. Iam formae non quidem *actu latitant in materia*¹, sed *potentia* continentur in ipsa. Nam omnis res *potentia* in se continet id, ad quod est in potentia. Atqui materia in potentia est ad omnes formas in se recipiendas. Ergo formae *potentia* in materia continentur². Itaque, si formae in materia *potentia* continentur, educio formarum a Scholasticis admissa nihil praesert absurdum. Qua ratione autem forma de potentia materiae educatur, ita explicatur: Cum agens naturale non producat ullam rem, nisi aliquam materiam transmutet de *non esse* ad *esse* alicuius formae, ad quam ipsa materia in potentia est, liquet materiam ad productionem formae concurrens ex eo, quod ipsa adiuuat agens naturale ad productionem formae³. Quod quidem, monente s. Thoma⁴, non est intelligendum, quasi materia aliquid agat, sed, ut diximus, quantum materia ad formam in se recipiendam apta est.

44. Obiic. 3°. *Privatio* denotat defectum realitatis. Ergo non potest quidquam conferre ad generationem alicuius rei.

¹ Cf s. Thom., I, q. XLV, a. 8 c.

² Hinc s. Bonaventura, secundum s. Augustinum (*De Trin.*, lib. III, c. 8, n. 3), inquit: « Rationes seminales omnium formarum sunt in ipsa (materia) »; *In lib. IV Sent.*, Dist. XLIII, a. 1, q. 4 *resol.* Qua in re s. Thomas monet formas, secundum quod sunt in potentia, a Deo materia concreari (cf etiam s. Aug., *ibid.*, c. 9, n. 16), et, secundum quod sunt in actu, de potentia materiae educi per agens naturale; *Qq. disp.*, *De Pot.*, q. III, a. 4 ad 7. Scilicet, qualitates naturales educuntur de potentia materiae; quarum inchoationes quasdam materiae Deus opere creationis indidit; *In lib. I Sent.*, Dist. XVII, q. II, a. 2 *sol.*

³ « In ipsa materia, inquit s. Bonaventura, aliquid est concreatum, ex quo agens, dum agit in ipsum, educit formam »; *In lib. II Sent.*, Dist. VII, p. 2, a. 11, q. 1 *resol.* At vero, « in prima corporalis creaturae productione non consideratur aliqua transmutatio de potentia in actum. Et ideo formae corporales, quas in prima productione corpora habuerunt, sunt immediate a Deo productae, cui soli ad nutum obedit materia, tamquam propriae causae Unde ad hoc significandum Moyses singulis operibus praemittit: Dixit Deus fiat hoc, vel illud. In quo significatur formatio rerum per verbum Dei facta, a quo, secundum Augustinum, est omnis forma, et compago, et concordia partium »; I, q. LXV, a. 4 c.

⁴ *In lib. II Sent.*, Dist. XVIII, q. I, a. 2 *sol.*

45. *Resp.*, *Neg. cons.* Etenim privatio ad generationem corporis non concurrit tamquam principium, quod componit id, cuius est principium, nempe tamquam pars, quae ipsum genitum constituit; sed tamquam principium, a quo generatio proficitur. « Dicitur etiam, apposite ait s. Thomas, principium generationis, a quo incipit generatio, et hoc modo principium, vel initium generationis est privatio formae inducenda ».

CAPVT II.

De essentia corporis

46. « In rebus compositis ex materia, et forma, ait s. Thomas, essentia significat non solum formam, nec solum materiam, sed compositum ex materia, et forma communi, prout sunt principia speciei² ». Quare ad naturam corporis intelligendam satis non est cognoscere, quid sit forma, et quid sit materia, sed cognoscere etiam oportet, quid sit corpus, quod ex utraque conflatur, sive in quo consistat essentia, seu esse *essentialie* corporis, quod ex copulatione formae cum materia constituitur.

ART. I. Aliorum Philosophorum sententiae de corporis essentia reiciuntur

47. Lockius ratus essentiam corporis positam esse in collectione omnium eius proprietatum, statuit essentiam corporis nobis latere, quippe quod non omnes eius proprietates exploratas habemus³. Cartesius, cui, praeter alios multos, Malebranchius⁴ adhaesit, essentiam corporis in tria dimensione, sive extensione posuit⁵. Multi recentes essentiam corporis in eo sitam esse volunt, quod ex substantiis physicis veluti partibus confletur⁶. Lockii sententiam sine examine mittimus, iam enim a nobis demonstratum fuit 1° nullius rei essentiam, sive substantiam in

¹ *In lib. I Sent.*, Dist. V, q. III, a. un. *sol.* Quare, monente eodem sancto Doctore, privatio dicatur principium esse fiendi, sed non essendi »; *Qq. disp.*, *De Pot.*, q. III, a. 1 ad 16.

² I, q. XXIX, a. 2 ad 3.

³ *Essais etc.*, lib. III, c. 6, § 21. — ⁴ *Entretiens etc.*, Entret. 1.

⁵ *Les principes de la phil.*, part. 1, § 53.

⁶ Hinc in multis philosophiae Institutionibus corpus vulgo definitur id, quod ex partibus constat; eamdemque esse compositi, et corporis notionem asseritur.